



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Honorij III. epistola ad Raimundum Rogerium Comitem Fuxensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

nostrum coadjutorium transmittatis, nihil dubitantes quia si sanguis noster in conflictu Christi respondet sanguini, verè poterimus inter martyres computari.

*HONORII III. PAPÆ
epistola ad Raimundum Rogerium
Comitem Fuxensem.*

Anno 1216.

Honorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro R. Comiti Fuxensi salutem & apostolicam benedictionem. Cùm olim à dilecto filio nostro Petro Tituli sancti Laurentij in Damaso Presbytero Cardinali tunc apostolicæ sedis Legato absolutionis beneficium accepisti, eidem inter alia juramento præstito promissisti quòd super his pro quibus excommunicatus extiteras apostolicis deberes parere mandatis; & ob hoc castrum Fuxi assignati fecisti eidem, tujs custodiendum expensis. Præterea pro Rogerio Bernardi filio & Rogerio de Comengia nepote tuis, ut mandatis apostolicis obedirent, eidem Cardinali castrum obligasti prædictum. Propter quod idem castrum auctoritate sedis apostolicæ fuit hætenus custoditum. Nuper autem per proprios nuntios ad sedem apostolicam destinatos à nobis instantissimè postulasti ut dictum castrum tibi restitui faceremus. Licet verò à nonnullis nobis suggestum fuerit quòd tu, postquam castrum recuperaveris sæpèdictum, negotium pacis & fidei perturbabis, quia tamen hucusque præfati Cardinalis dispositionibus & apostolicis mandatis humiliter paruisti, nec volumus quòd Ecclesia Romana valeat à quoquam de fide non servata redargui, cùm etiam manus nostra non

sit abbreviata quò minùs te refrenare possimus si,
 quod non credimus, nostris præsumeres obviare
 mandatis, venerabili fratri nostro Magalonensi
 Episcopo & dilecto filio Priori Fontis frigidi Narbo-
 nensis diocesis damus nostris litteris in mandatis ut
 à te, filio, & nepote tuis prædictis recipiant suffi-
 cientem juratoriam & fidejussoriam cautionem quòd
 negotium pacis & fidei non turbetis, immo pacis for-
 mam seruetis in illis partibus institutam, & reci-
 piant etiam super hoc litteras vestras patentes, in
 quibus contineatur expressè quòd si contra facere
 tentaretis, supradictum castrum incideret in Eccle-
 sia Romanæ commissum, Abbati sancti Tiberij, qui
 castrum prædictum hactenus custodivit, in quindecim
 milibus solidorum Melgoriensium pro expensa-
 rum parte quas in custodia ipsius castri fecisse dinos-
 citur faciant à te solvi, quibus rite per actis, idem
 castrum, sublato cujuslibet donationis, contradi-
 ctionis, & appellationis obstaculo, faciant tibi red-
 di, contradictores per censuram ecclesiasticam
 compescendo. Cùm igitur in prædictis benignitatem
 sedis apostolicæ sis expertus, nobilitatem tuam roga-
 mus attentius & monemus, præsentium tibi aucto-
 ritate sub debito dudum à te præstiti juramenti di-
 strictè præcipiendo mandantes quatinus negotium
 pacis & fidei de cetero non impugnes, sed pacem ob-
 serves in illis partibus institutam, & illud idem per
 jamdictos filium nepotemque tuos facias pro posse
 tuo firmiter observari; ita quòd propter hoc gratiam
 vinam & nostram valeas plenius promereri. Alio-
 quin tanto ampliùs aggravaremus super te manus
 nostras quanto manifestius cognosceremus in hac
 parte per te nobis illusum. Datum Romæ apud san-
 ctum Petrum sexto Idus Decembris, pontificatus
 nostri anno primo.